et reliquum in Poloniam exportatum cum gravi
alteratione Principum, et Aulæ, scandalo vero, et
abalienatione Populi Christiani.

Sunt in Moldavia Operarij Sacerdotes tredecim; Unus Ber-
nardinus Bosnensis, quatuor Seculares diversarum
Nationum, tres Patres Conventuales Missionarij
Itali, quinque Patres Jesuitæ Poloni, maior pars
ipsorum agunt Parochos.

Primam Parrochiam Baccovien. tenet P. Petrus Ber-
nardinus, callet Linguam ungaricam, vallacam, latinam,
et Sclavonam, honestæ vitæ, sed levis doctrinæ, suffi-
cienter tamen explicat evangelium Populo; residet
in Domo Epali et est meus Inspector, nullum pro-
ventum habet a Christianis, prout nec Epus, labore
manuum nostrarum vivitamus. Baccoviæ sunt
duo Templa unum B.mæ Virgini Mariæ Assumptæ,
alterum S. Nicolao dicata ambo brevi ruent, nisi
ab aliquo Benefactore fulciantur, muri sunt boni
sed tectum corruptum, nullum apparatum habent,
nullum Calicem.

Secundam Parochiam Sabojanen. a Baccovia distan-
tem una die regit cum adiacentibus alijs quinque
Pagis P. Benedictus Conventualis Missionarius
cuius mores, et vita propter quasdam levitates
non laudantur vix celebrat, Provinciam vaga-
tur (quod ipsi inhibui) habitum non portat, mer-
catur, et singulam vallacam vix loquitur, populus
alterum petit, quem possit intelligere.

Tertiam Parochiam Kutnariensem prout Sabojano